



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici

**Leoni, Giovanni Francesco**

**Coloniae Agrippinae, 1682**

9 Episcopo contradicente nullus sive saecularis, sive regularis, etiam in Ecclesiis suorum ordinum praedicare potest, & quomodo intelligantur illa verba, contradicente Episcopo.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10316**

fius parochi per se ipsum, vel alium idoneum verbum Dei prædicare, ut *cap. 2. de refor. sess. 5.* si per se ipsum non potest, debet per alium proprijs expensis supplere.

Si autem parochus sit pauper, qui ex redditibus, & emolumentis suæ ecclesiæ expensas necessarias prædicatori subministrandas sustinere non possit; tunc ipse non tenetur; quia impossibile nulla est obligatio. *l. impossibile. ff. d. reg. jur. sed tenetur populus, cui verbum Dei prædicatur, cum sit rationi consonum, quod prædicatores tali casu, ab ijs, quibus seminant spiritualia, temporalia metant. Paul. 1. Corint. c. 7. & c. cum ex officij, circa fin. de prescrip. Nisi adsit aliquod legatum, aut alij redditus huic pio muneri applicati, quia ijs casibus Episcopi non tenentur, cum in cathedrali solum teneantur ad præstandum stipendium prædicatori, ut fuit decretum à Pio V. ut in *decis. concl. super eo cap. 4. §. 10. Pius V. decrevit.**

§ Episcopus vero, qui legitime impeditus, officium prædicationis per se ipsum præstare non potest, per alium impensis ipsius Episcopi præstare debet, nisi ex consuetudine hoc onus ad alium spectaret, ut in *d. decis. sup. dicto cap. 4. factis sub. tit. Lanetanen.* & ad ipsum Episcopum solum prædicatorem deputare spectat in sua ecclesia, nec capitulum, seu communitates locorum hac in re aliquid possunt, ut *super eodem cap. 4. sub. tit. Burgen. Gadien. Legionen. fuit decisum.* An autem quotidie tempore Quadragesimali, vel jejuniorum, aut tribus diebus in hebdomata sit prædicandum, arbitrio Episcopi est declarandum. Et hodie Adventus tempus jejunijs proprie non dicitur, *decis. Conc. sup. eodem cap. 4. sub. tit. Mediolanen. qua incipit, arbi-*

*trium.* Ne autem dubitari contingeret, quomodo intelligenda essent verba Concilij in *prædicto cap. 4. post medium, ibi, nullus autem secularis, si sive regularis, etiam in ecclesijs suorum ordinum, contradicente Episcopo prædicare præsumat, sess. 24.* fuit per eandem sacram congregationem declaratum *super eodem cap. 4. & decisum, quod contradicente Episcopo nullus etiam regularis prædicet, nec teneri Episcopum causam exprimere, quare ad hoc prohibendum moveatur, ut in decis. super eodem cap. factis, sub. tit. Mediolanen. qua incipit. Contradicente Episcopo, & per dicta verba, Contradicente Episcopo, Ordinariis est concessum, ut etiam à regularibus, antequam officium prædicandi assumant, professionem fidei exigant, ut in *eisdem decis. etiam sub titulo Mediolanen. incipien. per hæc verba.**

Nec regulares qui cujuscunque ordinis, nisi à suis superioribus de vita, moribus, & scientia examinati, & approbati fuerint, ut statuit Leo X. in constitut. de prædicatorum officio in *Bull. cap. 15. ac de eorum licentia, etiam in ecclesijs suorum ordinum prædicare possunt, cum qua licentia personaliter se coram Episcopis præsentare, & ab eis, antequam prædicare incipiant, benedictionem petere tenentur, dicto cap. 2. vers. Regulares vero, de reform. sess. 5. nec sufficit per Nuncium petere, quia personaliter petere debent, ut ibi expressis verbis, & gloss. in *Clement. dudum in ver. presentari, de sepul. s. Greg. si fervore charitatis accensus, prædicatores vehementer hortatur, & monet, ut dicturi ad populum prudentes, cautique accedant, ne dicendi impetu ranci, verborum erroribus, quasi iactulis, audientium corda configant, ne cum sapien-**